

Terram Cornetan. ad jurisdictionem Episcopi Viterbien. & Tuscanen. liberans erigit in Civitatem.

unde & praemissis, & nonnullis aliis rationabilibus causis moti volentes, & ex certa scientia cupientes eorum merita condignis honoribus compensare, ipsosque attollere gratiosis favoribus, & honorabili munimine consovere.

§.2. Post deliberationem, & tractatum utilem quos super bis cum fratribus nostris habuimus diligentem, terram ipsam cum suis pertinentiis, quorum confines, denominationes, & loca praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, necnon omnibus & singulis personis tam Ecclesiasticis, quam secularibus degentibus, rebusque aliis consistentibus in eisdem ab omni immediata jurisdictione praefata, & subiectione Episcopi pro tempore existentis, & dilectorum filiorum Capitulum Viterbien. & Tuscanen. Ecclesiarum autoritate Apostolica tenore praesentium eximentes, & perpetuo liberantes Terram ipsam, tamquam locum idoneum, aptum, congruum, & fidelitatis insignem, de ipsorum Fratrum consilio, & Apostolica plenitudine potestatis pro divini nominis gloria, Ecclesiae sanctae Dei exaltatione, felici divini cultus augmento, saluteque fidelium animarum in Civitatem erigimus, Civitatisque titulo, & insignis decoramus: ipsamque Terram, & nunc Civitatem Cornetan. volumus perpetuis futuris temporibus nuncupari.

Ex Collegiatis Ecclesiis SS. Mariae & Margaritae, ac S. Mariae, quas unit constituit Cathedralium.

§.3. Et insuper Sanctarum Mariae, & Margaritae, ac Sanctae Mariae de Castello Cornetan. Collegiatis Ecclesiis invicem eadem autoritate unientes, annectentes, & incorporantes, ac in eis Ecclesiarum Collegiatarum, necnon huiusmodi penitus extinguentes, & in unicum corpus unicumque Collegium reducetes, ac Sanctarum Mariae, & Margaritae Ecclesiam praefatam in Cathedralium Ecclesiam erigimus, eamque dignitatis Episcopalis titulo insignimus, sponsum utilem, & idoneum per Apostolicam Sedis providentiam praesentem Domino habituram, cui praesesse valeat, & praesesse volentes autoritate Apostolica decernentes, quod in eadem erecta Ecclesia loco Prioris, qui nunc est Archidiaconatus major post Pontificalem dignitatem cum honoribus, & oneribus consuetis ac eidem annexis per futurum Praesulem instituat, ac Prior ipse de cetero in eadem Cathedrali Ecclesia Archidiaconus nominetur: in altera vero Ecclesia Sanctae Mariae de Castello, sic ut praesertur unita, Prioratus dignitas omnino cesset, cum illum vacare contigerit per cessum vel decessum, ambo quoque ipsarum Ecclesiarum Collegia in unicum Collegium Cathedralis Ecclesiae sic erectae Capitulum faciens reducantur, singulique ipsarum Canonici non Collegiatarum amplius Ecclesiarum, sed Cathedralis Ecclesiae Canonici nuncupentur.

Dioecesim novae Ecclesiae assignat.

§.4. Ceterum cum de Ecclesiis, & Ecclesiasticis Beneficiis, Castris, Villis, Territoriis, Terris, Possessionibus, Juribus, & Jurisdictionibus spiritualibus & temporalibus, aliisque redditibus, proventus, Terris, & Possessionibus tam Ecclesiasticis,

quam aliis, in quibus propria Dioecesis Cornetan. deputari, & etiam ordinari debeat, plenarie constat in Dei nomine procedentes volumus, & Apostolica autoritate statuimus, quod Territorium, & districtus ipsius Civitatis Cornetan. eidem Ecclesiae Cornetan. in Dioecesim assignetur cum omni jurisdictione, dominio, coercitione, & correctione debitae, & consuetis, denotata praefata Cornetan. Ecclesia in veram & limitatam Dioecesim tenore praesentium assignamus.

§.5. Volentes, & praefata autoritate concedentes, quod Episcopus pro tempore existens ipsius & Montislacon Ecclesiarum, quam Montislaconis Ecclesiam hodie etiam eidem Ecclesiae Cornetan. univimus, anneximus, & incorporavimus, cum de Corneto ad Montislacon, vel e converso de Montislacone Cornetan. recto itinere se transferre contigerit, extra tamen Civitates, Terras, & Castra, atque loca alia etiam in aliena Dioecesi consistentia, in via tantummodo obviantibus benedictionem impendere valeat abique aliorum injuria, seu contradictione quacunque.

§.6. Et ne propter huiusmodi exemptionem, erectionem, & assignationem de dicta Civitate & Ecclesiis, ac Dioecesi factas Viterbien., & Tuscanen. Ecclesiae, quibus ipsa nunc Civitas fuerat, ut praesertur, ordinario jure subiecta, aliquid aliis dispendium patiatur, volumus, & eadem autoritate decernimus, quod omnes fructus, redditus, & proventus, emolumenta, obventiones, & jura, tam ex possessionibus, quam pascuis in Territorio, & Districtu Cornetan. existentibus, & ad ipsas Ecclesias Viterbien., & Tuscanen., live ad Episcopalem mensam earumdem pertinentibus eidem Ecclesiis, & mense pro tempore debita ipsis Ecclesiis remaneant pleno jure, eidemque gaudeant & utantur, ac ea percipiant sine diminutione quacunque, sicut ante erectionem huiusmodi, aliterque ordinario jure percipere consueverant, & habebant.

§.7. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, Indulgentiis, exemptionibus, & literis Apostolicis huic nostrae ordinationi contrariis, quorumcunque tenorem existant, quae quoad hoc omnino viribus evacuemus, & nullius decernimus existere firmitatis.

§.8. Praemissa autem omnia sic utiliter facta, & salubriter ordinata perpetuis futuris temporibus obtinere volumus robor incommutabilis firmitatis, districtus inhibentes, ne aliquis, cuiuscumque status, dignitatis, ordinis, & praeminentiae fuerit, & quantumcumque praesulgeat dignitate, praemissa, & singula per nos ordinata, & instituta, seu aliqua, vel aliquid de contentis in eis quovis quaestio colore, occasione vel causa turbare, seu quomodolibet impedire praesumat. Hoc enim, prout est, irritum decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.8. Nulli ergo omnino hominum liceat &c.

Episcopi Montislaconen., & Cornetan. jurisdictione qualis sit.

Antiqua jura, & redditus Viterbien. Episcopo in districtu Cornetan. referat.

Obstantibus derogat.

Hec autem ratata plenius observari mandat.

Datum

Datum Florentiae Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo trigesimo quinto Nonas Decembris Pontificatus nostri Anno Quinto.

XII.

Unio Nepefinae, & Sutrinae Ecclesiarum, quae uni eidemque subijciuntur Episcopo.  
EUGENIUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI

Ex Tom. I. Ital. Sac.

Proemium.

Ad perpetuam rei memoriam.  
Sacrofancta Romana Ecclesia, quae super universas Orbis Ecclesias obtinet divina institutione primatum, si circa statum Ecclesiarum omnium, praesertim Cathedralium, earumque profectus velut pia mater de filiorum necessitate sollicitior vigilanter excogitat, & prudenter intendit, ut quandoque per unionem etiam salubris, ac commoda ministerium prout locorum, & temporum qualitas exigit, & illarum utilitas persuadet studeat Ecclesiarum ipsarum statui efficaciter providere.

Causa hactenus univenditum Ecclesiarum.

§.1. Nuper siquidem attendentes, quod Sutrin., & Nepefin. Ecclesiae, quae dudum fuere propriis facultatibus opulente, adeo per diversas calamitates, & succedentium temporum finitros eventus, quibus partes ipsae, pro dolor! afflictae fuere in earum redditibus, atque facultatibus tenues factae sunt, & exiles, quod propter inopiam, & servitatem huiusmodi reddituum, & proventuum Praesules in illis se commodo sustentare non possunt, propter quod Pontificalis in eisdem vilesit auctoritas, nec Episcopali dignitati debita reverentia exhibetur, Praesulesque ipsi in suorum conservatione jurium etiam Regalium, atque defensione eorumdem redduntur plurimum impotentes, cum revera ad illa tuenda non solum circumspicienda industria, & sollicitudo Paenitentiae curae profectum adducant, quinimo potius sufficientia facultatum.

Unio, de qua in rubrica.

§.2. Propterea cupientes ipsarum pauperum Ecclesiarum indigentiae subvenire, ac statum utriusque per unionis ministerium in melius reformare: dum ambae ipsae Ecclesiae sub unius, & ejusdem Praesulis moderamine atque cura reducenda feliciter ex ipsarum unita potentia, mutuisque facultatibus Praesul possit in eis praesidere decen- tius, perverforum conatibus obistere, defendere sua jura commodius, & commissos populos facilius gubernare. Quare pro evidenti ipsarum Ecclesiarum utilitate considerantes unionem huiusmodi nedum fore proficuum, sed admodum necessariam, immo laudabiliter, & etiam opportunam praemissis suadentibus, & aliis rationabilibus causis ad animum nostrum moventibus post deliberationem quam de uniendo ad invicem Sutrinam, & Nepefinam Ecclesias praefatas cum fratribus nostris habuimus diligentem Nepefinam Sutrinam, & Sutrinam Nepefinam Ecclesias antedictas de ipsorum fratrum consilio, & Apostolica potestatis plenitudine tenore praesentium perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus etiam ita, quod altero ex Praesulibus

earumdem Ecclesiarum, qui nunc sunt, cedente, vel decedente ex altera ex eisdem Ecclesiis quomodolibet dimittente, ex tunc ambae ipsae Ecclesiae per unicum Praesulem, qui Sutrin., & Nepefin., aut Nepefin., & Sutrin. Episcopus nuncupetur, salubriter gubernetur, liceatque superstiti, ex eisdem Praesulibus per se, vel per alium alterius Ecclesiae sic vacantis, ac ipsius civitatis, & Dioecesis in spiritualibus, & quantum ad ipsius Ecclesiae jus, & proprietatem in temporalibus corporalem possessionem apprehendere, & perpetuo retinere fructusque, necnon redditus, & proventus, emolumenta obventiones, & jura quaecumque ad mensam Episcopalem ipsius alterius Ecclesiae pertinentia percipere, & habere, ac in suos, & ipsius Ecclesiae usus, & utilitatem convertere, cujusvis licentia super hoc minime requisita.

§.3. Volentes, & autoritate Apostolica decernentes, quod huiusmodi unus Episcopus, qui eidem Ecclesiis pro tempore residet, uno anno in altera, & alio anno in reliqua ipsarum Ecclesiarum alternatis vicibus Christa conficere teneatur, ordinationum quoque tempore celebrationum vices eidem Ecclesiis, & earum civitatibus, & Dioecesibus distribuatur portionem, quam unicuique tribuendo, quodque in qualibet earumdem Dioecesium pro ejus subditis annis singulis celebret Synodum prout est fieri consuetum, & in qualibet earundem Civitatum, & Dioecesium Curiam teneat ad jurisdictionem Episcopalem inibi exercendam cum Vicariis, & Officialibus consuetis, ac etiam cum ad Praesul in Sutrinam tum vero in Nepefinam Civitatibus, & Dioecesibus praesens extiterit, Nepefin., & Sutrin. Episcopus appelletur, & sic deinceps Ecclesiae ipsae unico Pastore, & Antistite praemissisque intitutionibus perpetuis temporibus gubernetur; & quod cedente, vel decedente, aut translato ipso Episcopo, ac aliis Ecclesiis ipsis vacantibus ipsarum Ecclesiarum Canonici, & ambo capitula vocatis ad hoc, qui fuerint evocandi, congregari debeant pro electione futuri Episcopi celebranda in loco, ubi Episcopus decesserit, si ipsas Ecclesias vacare contigerit, sicut electiones huiusmodi temporibus vacationum ipsarum alternis vicibus in Civitatibus, & Dioecesibus antedictis, quodque propter unionem annexionem &c.

Nonnulla praescribit ab Episcopo in alterutra Ecclesia praesentanda.

De forma eligendi Episcopi.

Cetera prout in Constitutione VIII, pag. 10.

Datum Florentiae Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo trigesimo quinto pridie Idus Decembris Pontificatus nostri Anno quinto.

Dat. die 14. Octob. 1435. An. V.

Privi-

(a) Constitutionem, qua idem Eugenius Bononiae cum esset duos post annos Horraanam, & Castellanam univ. Ecclesias, & quas legerat est apud eundem Ughellium Ital. Sac. Tom. I. ea de causa omisi, quod idem semet verbis mutatis mutandis componitur ac praesens. In illius vero calce legitur -- Datum Bononiae Anno Incarnationis Dominicae 1437, Tertio nonas Octobris Pontificatus nostri Anno VII.

Privilegia & gratie, ac exemptiones Congregationis S. Justine de Observantia, Monachorum Ordinis S. Benedicti.

Sub hac die vidi etiam ejusdem Pontificis similem Constitutionem incipientem Et si quolibet. Hanc tamen uti pleniorum positam volui.

EUGENIUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Regularem vitam agentibus Apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurfus, aut eos a proposito revocet, aut robur (quod ablit) Religiosis infringat.

§.1. Cupientes itaque dilectorum filiorum Congregationis Monachorum Unitatis alias de observatione S. Justine nuncupate Ordinis S. Benedicti, Nobis ac Romana Ecclesia immediate subiecta opportunitatibus, & commodis propter eorum excellentiam meritorum, atque vite sanctimoniam nos reddere benevolos, & favorabiles, Motu proprio, non ad ipsorum Monachorum, nec alicuius alterius super hoc nobis oblata petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ne nequam spiritus veneno afflatis malignandi in ipsa Congregatione materia prebeatur, auctoritate Apostolica statuimus, dilucidius inhibentes, ne cui Prelatorum, vel Monachorum dictae Congregationis ab institutis, ordinationibus, correctionibus, & mandatis Capituli generalis, sive Presidentis, seu Visitatorum, aut Rectorum ipsius Congregationis ad quemcumque etiam ad Sedem Apostolicam, nisi de speciali indulto Summi Pontificis liceat appellare, appellationem nihilominus, si quam interponi contingat, cum inde sequutis irritam decernendo.

Appellatio non datur a correctione Prelatorum, nisi de licentia Summi Pontificis.

In causis civilibus, vel Criminalibus summarie procedendum.

§.2. Cum autem contra aliquem Prelatum, vel Monachum dictae Congregationis agi contigerit, civiliter, aut criminaliter, secundum consuetudines, & statuta Congregationis predictae, juris communis apicibus, dilationibus, terminis, litium anfractibus omittis procedi debere tenore presentium volumus, & mandamus.

Inquirendum contra Monachos vagos, seque ad diversa transferentes Monasteria.

§.3. Statuentes, quod Praelati dictae Congregationis, contra Monachos eosdem, qui licentiam se ab Apostolica Sede habere dixerint, ad aliud quodcumque Monasterium, sive locum se transferendi obtentu litterarum Apostolicarum, nisi in ipsis litteris specialis nominata, & expressa fieret mentio de ipsa Congregatione, & hujusmodi indulto eidem concessio, revocando, & tunc si infra tres menses id non impleverint, tamquam contra apostatas agere valeant, nisi tempus in litteris Apostolicis fuerit expressum, infra quod se debeant ad hujusmodi Monasteria, sive loca transfuisse, quo casu non prius agere possint contra eos, quam dicta tempora fuerint elapsa.

Facultas divina celebrandi officia tempore interdicti.

§.4. Ceterum cum per alias nostras certioris litteras, quarum tenorem hic haberi volumus pro expresso, memorata Congrega-

tioni duxerimus indulgendum, ut si contingat civitates, terras, vel loca, in quibus Monasteria, sive loca dictae Congregationis consistant, Ecclesiastico esse supposita interdicto, ipsi tamen dictae Congregationis Praelati, & Monachi, januis clausis, interdictis exclusis, submissa voce, Missas, & alia divina Officia celebrare possint. Nos volentes Congregationem ipsam uberius dono gratiae confovere, ut hujusmodi tempore interdicti, etiam conversi, commissi, Capellani, & laici, qui intra septa ipsorum Monasteriorum, sive locorum pro tempore habitaverint, a praefata Congregationis Monachis ad id deputatis, Missas, & alia divina Officia audire, & Ecclesiastica sacramenta licite suscipere valeant, similiter presentium tenore statuimus.

Attende statuta a Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 12.

Ordines & quocumque suscipiendi Episcopo.

Concil. Tridentini Sess. 23. cap. 12.

Exemptio ab exactionibus, & jurisdictione Ordinatio-

Vide Concil. Tridentini Sess. 25. cap. 12. §. 14.

Con-

Constitutionibus, consuetudinibus, statutis, decretis, & privilegiis Apostolicis quibuscumque, in contrarium facientibus, de quibus specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum esset mentio facienda.

Monachi non cogendi ad processiones, aliaque.

Quoad processiones vid. Concil. Tridentini Sess. 25. cap. 12.

Formae eorum Monasteria non ingreditur.

Praelatis data potestas Monachos dispensandi.

Monachi veto denegata extra Congregationem alieno stare servitio obsequio &c.

§.7. Ut autem hujusmodi Congregationis Monachi liberius in eorum regularis vite observantia valeant perdurare, omnes, & singulos Episcopos, vel locorum quorumlibet Ordinarios, aut alias quasvis personas, ad Monasteria, sive loca dictae Congregationis, causa ordines celebrandi, seu causas civiles, aut criminales exercendi, Conventus, sive Synodus, & processiones convocandi, Missas, & alia divina Officia celebrandi sub excommunicationis poena, quam incurrit ipso facto, si aliter attentaverint, accedere, vel immorari ipsis invitis, tenore presentium prohibemus.

§.8. Plane ut hujusmodi Congregationis Monachi in vite honestate, & odore bonae famae apud Deum, & homines conserventur, & quia ibi cautius est agendum, ubi majus imminet periculum animarum, eadem auctoritate statuimus, quod nulli hominum liceat quascumque mulieres laicas, seu religiosas, cujuscumque aetatis, status, gradus, auctoritatis, vel conditionis existant, quavis occasione ducere, sive ipsis mulieribus ingredi, seu commorari infra septa Monasteriorum praefatae Congregationis, quod si aliter scienter attentatum fuerit, tam ipse mulieres, quam earum duces, sed & ipsi receptatores, si voluntarie hoc fecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua dictae Congregationis persona absolvi possint per Praesidentem, & Visitatores Congregationis hujusmodi.

§.9. Quin etiam ne praefatae Congregationis Monachi ab eorum quiete distracti, Romanam Curiam pro crebris obtinendis licentis frequenter adire cogantur, quod omnibus casibus, in quibus de jure communi, Praelatis, & Monachis dictae Congregationis auctoritas, sive licentia, seu dispensatio Ordinarii esset necessaria, si ab eisdem exempti non essent, Praelatis, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus hujusmodi, qui pro tempore fuerint, una cum eorum Conventibus auctoritate Apostolica absque eo quod ad Sedem Apostolicam habeant recursum, hujusmodi licentiam, & auctoritatem tenore presentium indulgemus.

§.10. Prohibemus etiam ad obstruendas vias, quibus praefati Monachi extra Congregationem hujusmodi in eorum praedictum animarum vagari possent, omnes, & singulas personas, Ecclesiasticas, aut seculares, cujuscumque status, gradus, vel conditionis existant, & quacumque praesulgeant auctoritate, vel dignitate, ne quemquam ex Praelatis, vel Monachis Congregationis praedictae penes se obsequiorum, vel servitiorum aliquorum sui, vel Monasteriorum suorum obtentu, aut si absque licentia suorum Superiorum a se diverterint, seu alia quavis causa a dicta Congregatione abstrahere, seu etiam ad se sponte venientes retinere praesument, etiam auctoritate litterarum Apostolicarum, in quibus de hujusmodi persona, ac Congre-

gatione, nominatim, & expressè, mentio facta non fuerit, absque consensu Capituli generalis, seu Praesidentis, & majoris partis Visitatorum Congregationis ejusdem, sub poena excommunicationis, quam ipso facto incurrant, si facta eis notitia de hujusmodi privilegio infra tres dies personam ipsam dictae Congregationi non restituerint cum effectu, vel ab eis abjecerint, a qua sententia non nisi in mortis articulo, & a Sede Apostolica recipientes, & recepti absolvi possint: Non obstantibus quacumque Religio-num, vel Ordinum, aut alterius cujusvis personae, privilegiis, & indultis, quibuscumque, de quibus esset specialis, & de verbo ad verbum mentio facienda, quibus omnibus volumus nominatim, & specialiter per hujusmodi indultum, quo ad praemissa derogari.

§.11. Praeterea, ne quies, & pax Monachorum, & personarum de dicta Congregatione quovis modo, etiam per indirectum conturbari contingat, quascumque sententias latas ab Ordinariis, seu quibuscumque personis, quacumque praesulgeant dignitate, contra benefactores dictae Congregationis, occasione beneficiorum eidem collatorum ab eis, aut quia subditi eorum cum hujusmodi Monachis converterentur, seu ab eis recipiant absolutionis beneficium, & Eucharistiae sacramentum, ipso facto irritas, & inanes eadem auctoritate decernimus.

§.12. Cum autem interdum contingat nonnullos Monachos inobedientes, & rebelles a Monasteriis, & eorum Superiorum obedientia se subtrahere, & ut invitis Superioribus redeant, Apostolicas litteras impetrare, hujusmodi malignitatibus obviare volentes, ne quis praefatae Congregationis Monachos, vel Praelatos vigore quarumcumque litterarum hujusmodi, nisi nominatim, & expressè apparuerit de mente Summi Pontificis, qui pro tempore fuerit, huic nostro indulto velle derogare, ad ipsos recipiendum compellere possint, etiam si hujusmodi litteris clausula, privilegiis, & indultis dictae Congregationi concessis non obstantibus, & de quibus expressa mentio fieri debeat expressè contineantur, praesentis paginae tenore decernimus.

§.13. Insuper tranquillitati eorum intendentes, ne ij, qui Marthae circa plurima fatagentis officium dimiserunt, eligentes potius cum Maria circa pedes Domini residere, ad audiendum verbum illius, causarum turbinibus perturbentur, si contingat aliquem litteras Apostolicas commissorias de administranda justitia, executione facienda, visitatione exercenda, aut alia quavis causa ad aliquem Praelatum, vel Monachum dictae Congregationis directas, impetrasse, nisi huic indulto expressè, specialiter, & nominatim derogetur ad hujusmodi causas, talium obtentu litterarum praeter liberam eorum voluntatem procedere, vel eas executioni minime teneantur, indulti hujusmodi tenore decernimus.

§.14. Plane ne Praelatos, & Monachos hujusmodi causarum strepitus inquietet, & ab otio sancto deducat, ne quis, Praelatos, Mo-

Benefactores, vel Eucharistiam a Monachis sumentes non molestandi.

Monachos inobedientes regulati invitati non excipiant.

Nec quis cogi possit ad exco- quenda mandata Praelatorum extra Congregationem.

Aut contestandum in quolibet causa.

Monacos, & personas de hujusmodi Congregatione subire de calumnia, & veritate dicenda iuramentum, aut ad ferendum testimonium, quacumque ex causa compellat invitos, sive extra civitates, & Dioceses suas trahat, seu in eos, vel eorum aliquem, propterea excommunicationis, vel alias censuræ, seu pœnæ sententias proferat per literas Apostolicæ Sedis, vel Legatorum ejus, nisi in eisdem literis de hujusmodi indulgentia plena, & expressa, ac de verbo ad verbum facta fuerit mentio specialis, eadem auctoritatē indulgemus, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & alias sententias, si quas in eos, vel aliquem eorum contra indultum hujusmodi promulgari contigerit, decernentes præsentium tenore irritas, & inanes. Prælati, & Monaci Congregationis prædictæ Monachorum, conversorum, & commissorum ipsius Congregationis in causis eorumdem civilibus, & criminalibus testimonio liberè, & licitè uti posse tenore præsentium declaramus.

§.15. Quodque præfatæ Congregationis Monasteria, bona mobilia, & immobilia in quibuscumque civitatibus, & locis quovis titulo acquirere possint, petendi etiam, & exigendi Monaci, & personis hujusmodi præfata bona undecumque, vel qualitercumque eis debita, & quæ si in sæculo remansissent, jus petendi, & exigendi haberent ipsi eorum Monasteriis acquirenda; Non obstantibus quibuscumque statutis, ordinationibus, & decretis cujuscumque Ecclesiasticæ, sive secularis personæ, Communitatis, Collegii, sive Universitatis, aut alterius cujuscumque gradus, status, dignitatis, officii, & auctoritatis existat, præsentium literarum serie statuimus.

§.16. Præterea cum sæpè contingat ob devotionem, quam ad Monacos præfatæ Congregationis nonnullæ personæ habent singularem, ad præfatos Monacos pro earum salute animarum recurrere, Nos volentes eorum devotioni satisfacere, & in favorem religionis, ac observantiæ regularis, quod liceat hujusmodi personis, dictæ Congregationis, Prælatos, sive Monacos deputatos à suis Superioribus ad audiendum confessiones accedere, quas possint audire absque aliqua dictarum personarum superiorum licentia, & contradictione, ac eis absolutionis beneficium impendere ab omnibus peccatis, & dispensare super omnes casus, præter ea peccata, & eos casus, de quibus ipsis Confessoribus ad eorum Ordinarios videbitur recurrendum, aut de quibus esset Sedes Apostolica merito consulenda, & eis ministrare Eucharistiæ sacramentum de specialis dono gratiæ largimur.

§.17. Quin etiam cum religionis favore nonnulla concedantur, quæ alias interdicti solent, quod si qui ex Monacis Congregationis præfatæ defectum natalium patiantur, in Monasterio tamen alias laudabiliter, conversati, hujusmodi defectu non obstante ad sacros ordines, & officia, prælationes, dignitates, & honores in eorum Monasteriis juxta constitutiones eorum, liberè, & licite valeant promoveri, Congregationi

Jus vero Monaci habent ea repetendi, quæ si in sæculo essent, petere possunt.

Confessiones audire possint, & ad solvenda ea casibus non reservatis.

Defectum natalium patientes ad sacros ordines, & Prælaturas promoveri possunt.

memorata tenore præsentium indulgemus.

§.18. Volentes insuper, quod Prælati Congregationis præfatæ, licet munus benedictionis non acceperint, perinde tamen Monasteria ipsius Congregationis regere, & administrare, ac omnes actus in ipsis valeant exercere, ac si munus hujusmodi fuerint consecuti.

§.19. Adhuc etiam, quod si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus contra hujusmodi decreta, privilegia, & ordinationes, aut ipsorum aliquod à quocumque, cujuscumque conditionis, dignitatis, gradus, seu status existant ex negligentia vel ignorantia præsentium, & futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore observatum, ignoranter, vel scienter, nullum tamen præjudicium decretis hujusmodi volumus generari, sed in suo vigore & robore permanere.

§.20. Postremo cum plerumque contingat præ nimia importunitate petentium, ac negotiorum multitudinè, & suppressione veritatis, summos Pontifices fatigatos, aut circumretos ea concedere, quibus alias nullatenus annuerent, auctoritate præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus, quod quæcumque literæ Apostolicæ, etiam proprio motu confectæ, aut in futurum conficiendæ, & si in eisdem clausula, privilegiis & indultis dictæ Congregationi concessis non obstantibus, & de quibus expressa mentio fieri debeat, expresse contineatur, quæ obviet, & contrafaciat huic præfati privilegio, aut cuilibet ejus particule, nisi appareat evidentissime, & apertissime, quod Summus Pontifex, qui pro tempore fuerit, huic indulto vel alicui ejus parti, vellet per literas Apostolicas derogare, facientes specialem mentionem de verbo ad verbum ex certa scientia de hujusmodi privilegio, ac ipsa Congregatione, diversis nominibus eam nominando, per hæc præcisè vocabula Congregationem Unitatis, alias de Observantia S. Justini nuncupatam, causasque legitimas allegaverit cur his obviare intendat decretis, nullius sit roboris vel momenti.

§.21. Non obstantibus in Constantiensi, & aliis Conciliis, ac sel. recordat. Innocentio Quarto, & Martino Quinto, necnon aliis Summis Pontificibus predecessorum nostris editis constitutionibus, & ordinationibus, etiam si de illis specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum præsentibus mentio habenda esset, quibus quoad præmissa.

Cetera prout in Constit. VI.

Nulli ergo &c.

Datum Bononiæ Anno incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVI. pridie Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno sexto.

Ex his, quæ contra hæc statuta contigerit, nullum eisdem præjudicium parit vult.

Litteræ Apostolicæ in contrarium non præjudicent, nisi constiterit de mente Pontificis, quod huic Privilegio voluerit derogare.

Obstantibus derogatio.

Dat. die 30 Junii 1436. an.VL

Sequi-

Sequitur exemptio de qua in rubrica.  
EUGENIUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac personarum Ecclesiasticarum omnium, præsertim regularem vitam profesarum statum salubriter dirigendum, juxta Pastoralis officii debitum curam, & sollicitudinis nostræ partes libenter impendimus.

§.1. Cum itaque dudum Congregatio Monachorum de Observantia S. Justini, alias Unitatis nuncupatæ, Ordinis S. Benedicti, Nobis, & Romanæ Ecclesiæ immediate subiectæ, per alias nostras certi tenoris literas, quarum tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expresso, sepulturam in Monasteriis, & locis eorum, salvo tamen jure Parochianorum Ecclesiarum, à quibus corpora assumuntur, prout in præfatis literis plenius continetur concesserimus.

§.2. Nos volentes ulterius præfatæ Congregationis Monacos, qui à pluribus citra temporibus in observantia regulari, & vitæ sanctimoniam, variis multiplicarunt, prout in dies multiplicat, virtutum meritis, & ut Altissimo commodius possint, & quietius deservire, ac reparatione Monasteriorum eorum, qua maxime indigent vacare, amplioribus favoribus prosequi Motu proprio, non ad ipsorum, aut alicujus eorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, omnibus & singulis dictæ Congregationis Monasteriis, Prioratibus, grangiis, membris manualibus, & locis, ut ad dandum, seu solvendum aliquam Canonice Portionem, sive Decimas, aut aliud quodcumque, quod loco eorum solvi consueverit, Parochianis, Episcopis, Archiepiscopis, Capitulis, Collegiis, Universitatibus, Communitatibus, fabricis, & aliis quibuscumque personis, de jure, vel consuetudine, aut statutis, vel privilegiis quibuscumque ex quacumque causa hæctenus debita, seu quæ deberi pretendatur quomodolibet in futurum ab eisdem etiam de relictis, legatis & donatis, tam in ultimis voluntatibus, quam inter vivos, seu quacumque occasione concessis præteritis, & in posterum concedendis, minime teneantur.

§.3. Quibuscumque constitutionibus Apostolicis ac præfatis nostris literis, quibus quatenus huic nostro indulto obviet, volumus derogare, & aliis consuetudinibus, statutis, præscriptionibus, & privilegiis, sub quacumque forma, aut quibuscumque clausulis editis, non obstantibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus præsentibus expressa, & specialis, ac individua foret habenda mentio auctoritate Apostolica tenore præsentium, ex certa scientia de specialis dono gratiæ indulgemus.

§.4. Decernentes ex nunc, omnes & singulas excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliasque quacumque sententias, quas contra personas dictæ Congregationis sive Monasterii & loca, & alia in præjudicium concessiois hujusmodi promulgari, nullas, necnon irritum, & inane &c.

Exordium.

Exemptio à qualibet solutione portionis pro funeribus, aliisque quacumque.

Quibuscumque non obstantibus.

Irritatio contrarium.

tentias, quas contra personas dictæ Congregationis sive Monasterii & loca, & alia in præjudicium concessiois hujusmodi promulgari, nullas, necnon irritum, & inane &c.

Nulli ergo &c.  
Datum Bononiæ, Anno incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVI. quarto nonas Julii Pontificatus nostri Anno sexto.

XIV.

Jurisdicção & facultates Judicum Conservatorum quarumcumque litium Congregationis Cassinensis, alias S. Justini de Padua Monachorum Ordinis Sancti Benedicti.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Mediolanensi & Castellanensi, ac Christophoro Arimineni, Episcopis, necnon dilecto filio Abbati Monasterii Cassinensis, nullius diocesis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Militanti Ecclesiæ, licet immeriti, disponente Domino, præfidentes circa curam Ecclesiarum, & Monasteriorum, aliorumque piorum locorum omnium, solertia reddimur indefessa solliciti, ut juxta debitum pastoralis officii, eorum occurramus dispensis, & profectibus, divina cooperante clementia, salubriter intendamus.

§.1. Sane dilectorum filiorum Præsidentis, Visitatorum, & Prælatorum Congregationis Monachorum, Monasteriorum, Prioratum, domorum, & Locorum Unitatis alias de Observantia S. Justini nuncupatæ, Ordinis S. Benedicti, ac Romanæ Ecclesiæ nullo medio pertinentis, conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, & Clerici, ac Ecclesiasticæ personæ, tam religiose, quam seculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Laici, Communia Civitatum Universitates Oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, ac aliæ singulares personæ Civitatum & diocesum & aliarum partium diversarum, violarunt, occuparunt, & occupari fecerunt Ecclesias, castra, villas, & alia loca, sive membra, terras, domos, grangias, molendina, decimas, obedientias, calalia, vineas, prata, nemora, piscationes, possessiones, jura, privilegia, & jurisdictiones, necnon fructus, census, redditus, & proventus dictæ Congregationis, ac Monasteriorum, Prioratum, domorum, aliorumque locorum sub Congregatione hujusmodi comprehensorum, sive illi subiectorum; & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia, spiritalia & temporalia, ad Congregationem, sive Monasteria, Prioratus, membra, necnon subiecta, domos, & loca hujusmodi spectantia, & ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium, vel favorem.

C

Noq.

Præmium.

Illis per nonnullos gravibus Congregationi huic damnis;

Præfides sup-  
plicat SSmo  
pro opportu-  
no remedio.

Qui certos ad  
hoc iudices  
deputat.

Nonnulli etiam civitatum diocesum, & partium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eisdem Præfidenti, Visitatoribus, necnon dilectis filiis Abbatibus Monasteriorum, & Prioribus Prioratum prædictorum, ac eorundem, necnon Congregationis, ac subsectorum domorum, & locorum huiusmodi personis aliis, super prædictis Castris, Villis & locis aliis, terris, domibus, pertinentiis possessionibus, iuribus, & jurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus, & proventibus eorundem, ac quibuscumque aliis bonis mobilibus & immobilibus, spiritalibus & temporalibus, & aliis rebus ad Congregationem, Monasteria, Prioratus, necnon subiecta, domos, & loca huiusmodi spectantibus, multiplices molestias & injurias inferunt, ac iacturas.

§.2. Quare dicti Præfidentis & Visitatores nobis humiliter supplicarunt, ut cum eisdem valde reddatur difficile, & aliis Abbatibus, Prioribus, & Prælatibus huiusmodi pro singulis querelis ad Apostolicam sedem habere recursum, providere eis super hoc paterna diligentia curarem.

§.3. Nos igitur adversus violatores, occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & injuriatores huiusmodi, illo volentes eisdem Congregationi, Præfidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & personis aliis remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi familia præcludatur, discretioni vestrae, ex certa scientia per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut singuli vestrum, per vos, vel alium, seu alios, etiam si sint extra, loca, in quibus deputati estis Conservatores, & Iudices, ipsi Præfidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & personis, necnon conventibus, domibus ac membris eisdem subiectis, efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eisdem super iis & quibuscumque aliis bonis & iuribus, ad Congregationem, Monasteria, Prioratus, necnon subiecta, domos, & loca prædicta spectantibus, ab eisdem vel quibusvis aliis indebite molestari, vel eis gravamina, seu damna, vel injurias irrogari, facturi dictis Præfidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus & personis quum ab eis, vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo, fueritis requisiti, de prædictis, ac aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi Prioratum, Ecclesiarum, membrorum, grangiarum, castro- rum, casalium, villarum, terrarum, possessionum, & aliorum locorum, jurisdictionum, iurium reddituum quoque & proventuum, & aliorum quorumcumque bonorum spiritalium, & temporalium, necnon de quicumque molestiis, injuriis, atque damnis præsentibus, & futuris in personis, & rebus ipsorum, in illis videlicet quæ iudicalem requirunt indaginem, summarie & de plano, sine strepitu, & figura iudicii sola facti veritate inspecta, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, iustitiæ complementum. Violatores, occupa-

tores, seu detentores, præsumptores, molestatores, & injuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, quicumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, quandocumque & quotiescumque expedierit, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, ac omni appellatione, processum causarum quovis modo respicienti postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.4. Non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, in quibus cavetur ne aliquis extra suam civitatem, & diocesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine diocesis ad iudicium evocetur, seu ne Iudices, & Conservatores à Sede deputati prædicta, extra civitatem, & diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, sive alii, vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam à fine diocesis earumdem trahere præsumant, seu quod de aliis quam de manifestis injuriis, ac violentiis, & aliis quæ iudicalem requirunt indaginem, pennis in eos si fecerint, & in id procurantes adiectis, Conservatores se nullatenus intromittant. Et tam de duabus dietis in Concilio generali, dummodo ultra duas, aliquis extra suam civitatem, & Diocesim auctoritate præsentium, ad iudicium non trahatur, quam aliis quibuscumque constitutionibus, à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de Iudicibus delegatis, & Conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quæ vestre possent in hac parte jurisdictioni aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel, divisim, à prædicta sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra, vel ultra certa loca ad iudicium advocari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, & eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali quicumque tenoris existant, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, vestre jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, de qua cuiusque toto tenore, de verbo ad verbum in nostris literis habenda sit mentio specialis.

§.5. Cæterum volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans, nullo fuerit impedimento canonico preceptus. Quodque à datis præsentium, sit vobis, & unicuique vestrum, in præmissis omnibus, & eorum singulis, ceptis & non ceptis, præsentibus, & futuris, perpetua potestas, & jurisdictione attributa, ut eo vigore, eaque firmitate, possitis in præmissis omnibus ceptis, & non ceptis præsentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia, & singula coram vobis cepta

Obstantibus decogat.

Conservato-  
rumque am-  
pliar facultates.

Dat. die 22.  
Nov. 1436.  
an. VI.

Deus Eccle-  
siam suam flu-  
sare, sed  
non mergi pa-  
tuitur.

Convenienti-  
bus itaque,  
Ferrariæ Ori-  
entalibus, &  
Occidentalibus  
populis;

Ipsique in-  
stante Impe-  
rator cum  
Patriarcha  
Legatis, mul-  
tisque Episcopis;

Illuc pro Con-  
cilio statim  
conveniend.

cepta fuisset & jurisdictione vestra, & cuiuslibet vestrum in præmissis omnibus & singulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitisset. Constitutione prædicta super Conservatoribus, & alia quælibet in contrarium edita non obstant.

Datum Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVI. viii. Kalend. Decembris, Pontificatus nostri Anno 6.

XV.

Translatio Generalis Concilii Basileensis ad civitatem Ferrariæ in Provincia Lombardiæ.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad æternam rei memoriam.

Magnas omnipotenti Deo gratias oportet nos agere, qui antiquarum suarum misericordiarum non immemor, Ecclesiam suam continuo reddit amplio-rem. Quam quidem, & si laborare, multisque tempestatibus fluctuare permittit, nunquam tamen submergi patitur, verum à fluctibus, & magnis estibus maris reservat, & pro suo erga genus humanum amore, inter multos, & varios casus, & calamitates, virentem semper fovet, ac magis vigentem reddit.

§.1. Ecce enim Orientales, & Occidentales populi jamdiu inter se dissidentes, atque disuncti, ad pacem, atque conjunctionem convenire festinant. Quippe qui discordes jam, & inimici, tandem post multos annos, favente Deo, ex quo omne datum bonum, sanctæ conjunctionis desiderio affecti, in hunc convenere locum. Nostræ igitur servitutis, ac totius Ecclesiæ opera est, & esse credimus, tentare pro viribus, ut hæc principia tam felicia, studio nostro ita felicem exitum consequantur, ut Dei gratiæ cooperatores esse, dicique mereamur.

§.2. Cum itaque dilectissimus filius Joannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator, una cum piissimo fratre nostro Josepho Patriarcha Constantinopolitano, necnon ceterorum Patriarcharum Legatis, ac multis amplissimis Metropolitanis, & Episcopis, ac aliis Ordinibus Ecclesiasticis, & viris nobilibus ad octavam diem proximi mensis Februarii Venetias advenerit, nobis id, quod aliis etiam ex locis antea fecerat, continuo literis suis significavit, se quibusdam de causis non alienis à ratione Basileam, ubi Synodus celebranda erat, ire non posse, idque his qui ibi jam essent scripsisse, notumque fecisse, volens propterea, & contendens, ut ipsa Synodus huc Ferrariam transferretur, & hic tam pium negotium concluderetur.

§.3. Nos igitur quibus sancta Christianorum conjunctio cordi mirum in modum est, quique ipsam celerrime conficere cupimus, decretum Basileen. Concilii de celebrando generali Concilio Græcis volentibus pro-

Tom. III. Par. III.

mulgatum, ac editum, & à nobis postea Bononiæ præsentibus ipsius Imperatoris, ac à Patriarchæ Oratoribus susceptum, & approbatum, quæque ad præsens sanctæ conjunctionis negotium spectent, pro nostra servitute volentes exequi ut debemus, & cupientes ipsum ad conclusionem perducere, omni modo, & forma quibus possumus, & debemus, præsentibus, & consentientibus Imperatore, ac Patriarcha, & ceteris hic ad celebrandum Synodum congregatis, notumfacimus, & declaramus prædictam Synodum hic Ferrariæ, qui quidem locus liber & tutus est, celebrandam esse, & sic ab omnibus existimari, ac dici debere; sperantes hic absque discordia, & contentione, aliave mestitia, sed potius amore summo divinam ipsam pacem, & cetera sancta opera, pro quibus Synodus convocatur, tractari, Deoque placato, ac favente feliciter confici posse.

Datum Ferrariæ, die ix. mensis Aprilis MCCCCXXXVII. Pontificatus nostri Anno vii.

Dat. die 9.  
Aprilis 1437.  
an. VII.

XVI.

Concessio nonnullarum gratiarum Eremitis B. Petri de Pisis nuncupatis.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis fratri Bartholæo de Casena, ac universis Eremitis de Societate quondam fratris Petri de Pisis, præsentibus & futuris Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Provenit ex vestre devotionis affectu, quo nos, & Romanam Ecclesiam reveremini, ut petitiones vestras, illas præsertim, quæ animarum vestrarum videntur salutem respicere, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus.

§.1. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati, vobis omnibus & singulis auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut confessores idonei, quos duxeritis eligendos, in vita confessiones audire, & omnium & singulorum, qui in ipsa Societate pro tempore fuerint, ab omnibus casibus, super quibus etiam Sedes Apostolica merito esset consulenda, pro semel tantum postquam in societate remanere deliberaverint, in aliis vero casibus quandocumque absolvere possint, eis imposita pœnitentia salutari: & in mortis articulo semel tantum omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fueritis, plenam remissionem vobis in sinceritate fidei & unitate sanctæ Romane Ecclesiæ, ac obedientia & devotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, eadem auctoritate concedere valeat. Ita tamen quod ipsi Confessores de his, de quibus fuerit satisfactio impendenda eam vobis per vos si supervixeritis, aut per successores vestros, si tunc forsitan transieritis faciendam injungant, quam vos vel illi facere teneamini. Et ne propter huiusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita in posterum committenda, volumus, quod si ex confiden-

Exordium.

Facultate eligendi sibi Confessores.

Eligendique Sacerdotes, qui divina celebrant, ministrantque Sacramenta:

Eremitas ab solvant ab irregularitate.

Item licentia elemosynas quereuditem- pore interdici.

Altare portatili utendi.

Cemeteria habendi.

Ordines a quo libuerit suscipiendi Episcopo.

Vid. Conc. Trident. sess. 7. cap. 1.

Alia acquirendi loca.

Derogatio contrariorum.

tia remissionis hujusmodi aliqua commiseritis, quo ad illa remissio ipsa vobis nullatenus suffragetur.

§. 2. Quod singuli dictae Societatis, seu alii seculares, vel regulares, vel religiosi sacerdotes, quos similiter duxeritis eligendos, in vestra, & vobiscum commorantium personarum praesentia, in Oratoriis, Ecclesiis, & locis ejusdem Societatis nunc per vos acquisitis, & in antea acquirendis, dioecesiani loci, seu alterius cujuscumque licentia minime requisita, Missas, & alia divina officia tam feratis, quam aliis diebus tempore congruo celebrare, necnon Eucharistia, Extremae unctionis, & alia quaecumque Ecclesiastica Sacramenta, abique Parochiani juris praedictio, ministrare, ad quae etiam suscipienda extra loca, seu Oratoria dictae Societatis compelli non possitis.

§. 3. Quodque Sacerdotes Societatis praedictae cum omnibus & singulis Eremitis ipsius Societatis super irregularitate per ipsos quoquomodo, vel ex quavis causa contracta, ut divinis officiis, & obsequio Missae interesse possint dispensare, & infamiae maculam abolerere possint, & valeant.

§. 4. Insuper quod cum excommunicatis & interdictis seu quavis censura ligatis, pro elemosynis ad sustentationem vitae vestrae dumtaxat acquirendis, & non alias conversari, ita quod hoc ad culpam vobis minime imputetur, possitis.

§. 5. Quodque in locis, & Oratoriis per vos & successores vestros acquisitis & acquirendis, altare portatile pro missis celebrandis, & aliis divinis officiis in locis ad id congruis & honestis, cum debita reverentia habere possitis.

§. 6. Loca autem pro sepeliendis Eremitis, & aliis servientibus vobis per quemcumque, seu quoscumque catholicos Episcopos, gratiam & communionem Apostolicam Sedis habentes, consecrari, seu benedici possint.

§. 7. Quodque omnes & singuli vestrae Societatis, qui alias habiles & idonei reperi fuerint, a quocumque Antistite gratiam & communionem dictae Sedis habente, ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines alias rite promoveri, & in illis ministrare, proprii tum Episcopi, sub cujus dioecesi mora trahitur, licentia prius requisita, & obtenta, libere & licite valeant, auctoritate Apostolica tenore praesentium indulgemus.

§. 8. Et insuper, ut Oratorum S. Mariae Magdalena Paduanensis & alia quaecumque loca per vos acquisita, & acquirenda per Societatem praefatam, & eius nomine, cum omnibus & singulis juribus & pertinentiis eorum, absque impedimento, & contradictione cujuscumque retinere, necnon omnibus & singulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, indultis, & exemptionibus, quibus alia Oratoria & loca Eremitarum utuntur, & gaudent, etiam uti, & gaudere possint, & valeant, eadem auctoritate concedimus per praesentes.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, & prohibitionibus Apostolicis specialibus

vel generalibus, etiam si tales sint, de quibus praesentibus specialis, & expressa esset mentio habenda, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo &c.  
Datum Ferrariae, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo trigesimo septimo, octavo Kal. Martii Pontificatus nostri Anno septimo.

XVII.  
Praefinitio numeri Clericorum Rever. Cam. Apostolicae Praesidentium, ad septem.  
EUGENIUS EPISCOPUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter cetera gravia pulsantia pectus nostrum sunt, ea potissime, per quae Romanae Curiae honor, decusque servatur, & Officialium illius ordines debite disponuntur, unde contingit ad Sedem Apostolicam confluentes debite expedire.

§. 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Apostolicae Camerae Clericorum Capellanorum nostrorum nobis exposito, quod proventus, & emolumenta singulorum eorumdem ob ipsorum numerum excrescentiam & augmentum, adeo sunt ex temporum causante malitia diminuta, quod inde nequeunt vitam ducere decentem. Quodque juxta antiquam, laudabilemque consuetudinem, & si major negotiorum concursus existeret, atque frequentia, minor tamen numerus existeret, & stipendia pinguiora, poterantque propterea ejusdem Camerae servitium, & obsequium magis, & melius insudare, quo non oportebat, victum quaerere aliunde; ac subiecto, quod si numerus eorum ad numerum septenarium reduceretur, profectio Camerae praedictae meliorem formam haberet, & illius negotia dirigerentur in melius, & loci, & personarum decori, & honestati forent abique ulla dubitatione provium.

§. 2. Nos praefatorum Clericorum votis favorabiliter annuentes, ac attendentes quod non amplior ponendus est numerus in officio ministrorum, quam possit de illius proventus congrue sustentari, quodque septenarius Clericorum numerus, decens sit ad negotia praefatae Camerae recte ubilibet dirigenda praesentibus constitutionibus, quam irrefragabiliter observari volumus Apostolica auctoritate sancimus, quod de cetero nullus ad officium Clericatus Camerae hujusmodi assumatur, seu illius Clericorum consortio aggregetur, donec numerus eorum ad septenarium numerum sit reductus.

§. 3. Nihilominus si contingat aliquem vel aliquos, ultra praefatum numerum eorumdem Clericorum consortio aggregari, illos esse decernimus omnis perceptionis emolumentorum expertos.

§. 4. Mandantes dilecto filio nostro Francisco tituli Sancti Clementis presbytero Cardinali Camerario nostro, & eius in dicto officio successoribus, reliquisque ejusdem Camerae Clericis, atque gentibus pra-

Exordium.

Causa hujusce faciendae reductionis.

Reductio, de qua in Rubrica.

Aggregandus supra d. numerum emolumentorum experts.

Mandatum Camerario, Clericisque, ut neminem supra d. numerum recipiant.

Dat. die 9. Julii 1438. an. VIII.

Datum Ferrariae Anno Domini MCCCCXXXVIII. v. Id. Julii, Pontificatus nostri Anno viii.

XVIII.

Quod Abbates Ordinis Cisterciensis quavis auctoritate etiam Apostolica ad Abbatis promoti, vel confirmati, ab eisdem Ordinis Abbate, Visitatoribus & Reformatibus non sint exempti.

Ordinis hujus Constitutiones vide superius in Eugenio III. Constit. L.

EUGENIUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Ad universalis Ecclesiae regimen licet insufficientibus meritis divina disponente clementia deputati, non possumus non turbari, cum Monasteria & alia loca regularia sentimus in aliqua parte laedi, sed tunc profecto acerbiore dolore confodimur, cum ubi speciosiora esse solent, enormius deformantur.

§. 1. Sane pro parte dilecti filii Joannis Abbatis Monasterii Cisterciensis Cabilonensis Dioecesis habitus nobis nuper petitio continebat, quod nonnulli Cisterciensis Ordinis Abbates alii videlicet se ad Abbaticas dignitates, quas obtinent per Apostolicam Sedem promotos, alii vero electiones de eis ad dignitates similes factas, & per Sedem fuisse confirmatas eadem asserentes, & eo praetextu se fore exemptos, ad Capitula generalia dicti Ordinis accedere, Visitatoribus quoque & reformatibus Ordinis ejusdem parere negligunt & recusant, praedictum Abbatem generalem Visitatores & Reformatores hujusmodi contemnent, in ipsum vilipendium, ac scandalum totius Ordinis non modicum, & jacturam.

§. 2. Quare pro parte dicti Abbatis nobis fuit humiliter supplicatum ut super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque qui Ordinum & Monasteriorum quorumlibet curam gerimus generalem, quorumque interest super talibus providere, cupientes quod Ordo ipse & illius personae praesertim in dignitatibus constitutae in caritatis & obedientiae vinculo cum Abbate praefato, & aliis eorum Superioribus se conforment, eisque juxta statuta & ordinationes, & laudabiles consuetudines dicti Ordinis pareant & intendat, auctoritate Apostolica, tenore

Exordium.

Causa hujus Constitutionis.

Constitutio de qua in Rubrica.

praesentium declaramus quoscumque Ordinis praefati Abbates Apostolica vel alia quavis auctoritate promotos, illorum etiam quorum electiones ad Abbaticas dignitates sunt eadem Apostolica vel auctoritate alia confirmata, nullatenus propter promotiones vel confirmationes hujusmodi ab Abbate Ordinis Visitatoribus & Reformatibus hujusmodi fuisse, vel esse exemptos. Decernentes eos & quoscumque alios Apostolica vel alia quavis auctoritate hujusmodi de cetero promovendos, ac etiam illos quorum electiones confirmari in futurum contigerit, ut praefatur, eisdem Abbati Ordinis, Visitatoribus, & Reformatibus, illorumque Correctoribus, prout ante erant subditi, subiacere & omnino subesse.

§. 3. Nos enim omnes & singulos qui praetextu promotionis, seu confirmationis de se factae hujusmodi praesumpserit rebellionis, contemptum, vilipensionis, aut inobedientiae contra patrem Abbatem Ordinis, Visitatores, & Reformatores hujusmodi pro tempore existentes, cornua elevare, excommunicationis sententia decernimus subiacere.

§. 4. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii & Ordinis praedictorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis non obstantibus quibuscumque, seu si promotis & confirmatis, seu forsitan promovendis, & confirmandis hujusmodi, vel quibusvis aliis communitate vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 5. Et insuper irritum decernimus, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo &c.  
Si quis &c.  
Datum Ferrariae, anno Incarnationis Dominicae MCCCCXXXVIII. Idus Decembris. Pontificatus nostri Anno octavo.

XIX:

De S. R. E. Cardinalium dignitate, ceteris Ecclesiasticis dignitatibus praestantiori.  
EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili viro Magistro Henrico Archiepiscopo Cantuariensi &c.

Non mediocri dolore afficimur, cum fratres nostros Episcopos seu alios Ecclesiasticos, dissidii aliquid exortum esse percipimus, tum propter malum, quod inde in populis exemplum provenit, tum quia contemptus & detractionis praebet occasio.

§. 1. Proinde non parum audisse displicuit disensionem illam, quam cum dilecto filio nostro Joanne tit. S. Balbinae presbytero

Pena contra venientium.

Derogatio contrariorum.

Dat. die 8. Decemb. 1438. an. VIII.

Archiep. Cantuarien. auctoritatem movit de praecedentibus cum Cardinalibus Balbinae.